Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35447
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

54.

18

non est in corporibus nisi ad conservationem nature. Non magnum habet cerebrum secundum magnitudinem sui corporis aliis animalibus maius. Et cerebrum viri maius est cerebro mulieris. Omnium cerebro in medio, ut dicit Plinius, insunt parva ossicula. Ut dicit Aristotiles, ipsum cerebrum hominis nec valde humidum nec valde siccum. Et circumdant due tele, quarum fortior illa que est prope testam. Hec sola recipit lesionem, alia vero numquam. Cerebrum vero in duo dividitur: anterius et posterius. Posterius est diversum colore et visu ab anteriori. In medio cerebri est locus profundus et longus. Tela ultima que tenet cerebrum, illa scilicet que prope testam est, perforatur venis in extremitatibus in longo, scilicet ubi os debile continet cerebrum, et hec illa scilicet parte ubi collum coniungitur capiti. Omnia animalia, ut dicit Plinius, que cerebrum non habent non dormiunt.

De capillis.

Capilli capitis ex fumo grosso et calido cum excrementitiis est humoribus nascuntur. Rarescunt autem ubi calor excedit naturam. Cadunt propter abstinentiam cibi et propter infectos humores ut in leprosis et in viris siquidem sepe, sed in mulieribus vel in spadonibus natis numquam, nec in nullo ante veneris usum et propter frigiditatem nature. In frigidis regionibus, ut dicit Aristotiles, animalia vel homines stratos ac pendentes capillos habent albosque frequentius et rigidos. In calidis vero nigros sepe ac crispantes per omne. Omne animal multorum pilorum, ut dicit Aristotiles, et omnis avis multarum plumarum est multi coitus. Nullum animal est mixtorum pilorum in capite preter quam homo. Et hoc necessarium fuit ei propter humiditatem cerebri, ut scilicet illud custodiatur a forti frigore et a calore nimio. Infra cerebrum non calvescat homo, aut infra verticem aut circa tempora circa aures. Dicit Plinius quod pili crescunt per aliquot dies et in defunctorum senum corporibus.

De sompno.

Sompnus nichil aliud est, ut dicit Plinius, quam animi in medio se recessus. Pueri ante tercium annum vel quartum non sompniant. Fuerunt inventi homines qui numquam sompniaverunt, ut dicit Aristotiles, et quidam qui non sompniaverunt nisi in senectute et postea accidebat illis vel mors vel infirmitas. Stupor aliquando mentis, ut dicit Phisicus, quasi sompnus oculis clausis.

De oculis.

Oculi sunt pars corporis preciosissima, ut dicit Plinius, et que lucis usu vitam distinguit a morte. Et quidem ratione actum est, ut dicit Aristotiles, ut sensus visus esset circa cerebrum, quia natura visus est frigida et humida quemadmodum cerebrum, quod in nullo alio reperitur membris corporis. Sensus visus in anteriori est parte corporis, quoniam animal debet videre quod anterius est, et sensus est valde. Opticus nervus est qui dirigitur a cerebro.